

lit, relaxat, debilitat, & praeualentem cordis motum huc potissimum dirigit. Adde cucurbitas, quae imminuta aeris pressione copiose humores alliciunt. Possunt & fomentis, continuo renouatis obuolui pedes, ut eo constantior & diuturnior effectus sit. Neque sufficit emollire haec loca, quae suscipere debent, sed & stimulum, qui alliciat, hic excitare oportet. Proderit igitur sub pedum plantis applicare pistorum fermentum cum aceto, ruta, sale & allio. Neque hic excludimus vesicatoria suris & femoribus adhibenda, unde fibrae nerueae excitantur, spiritus torpidiores mouentur, peruerseque moti huc reuelluntur, cum successu saepe tam subito, ut post quinque, vel sex horas iam clamare aegri de redeunte pedum dolore incipient. Nihil addam de scarificationibus aliisque remediis quae commendantur ex rubefacientium genere, plantis maxime aromaticis sale volatili oleoso abundantibus, ut rapphano, nasturtio, sinapi, nec non ex animalium partibus simili sale & oleo turgidis, ut columbis recens trucidatis & calide applicatis.

§. XX.

Tertia indicatio vim cordis ad extrema propellentem intendit. Quae ab hac petuntur, nunquam ab initio adhibeantur, antequam & materia expellenda sit meabilis, & loca recipientia satis pateant. Solet hic vel ipsa naturae prouidentia febriculam excitare, quae nocentiorem interius hostem eiiciat. Si pro illa lentorem observas, & anxietates, quae inertiam virium propellentium arguunt, tuto propinari possunt mouentia, & stimulantia. Inter quae magnum nomen meruit generosissimum vinum [a] rhenanum, & fuerunt, qui quasi ex arbitrio eius vsu paroxysmos podagricos reuocarunt. SYDENHAMVS vinum canariense praefert, tanquam valde cardiacum, cum pauxillo laudano, quali haustu ipse utens, & in lectulo ad quietem

[a] De Musgrauii remed. antipod. vinos. vid. Censura RUDOLPH. IAC. Camerarii in Dissert. Tübingae habita 1716.